



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 5. Sacerdotes negotijs secularibus se non implicant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

CAPVT V.

Sacerdotes negotijs secularibus se non implicent.

Vita Sacerdotum ab omnibus negotiis libera sit.

Gen. 49.

Allegoria.

Num. 21.

Pharao omnem regionem Aegypti onerosus & exactionibus grauabat, tributariamque reddebat, & solam Sacerdotalem ab omni tributo & onere liberam esse voluit. Præter terram Sacerdotum quæ à rege tradita fuerat eis. Negotia, ambitiones, ac vitæ huius sollicitudo, tributa sunt terræ mundi huius, & sæculares omnes hæc pendere oportet ac sola Sacerdotalis terra, id est Ecclesiasticorum vita, exempta est, priuilegio gaudet, voluitque illam Deus ab omnibus negotiis perturbationibusque sæcularibus liberam esse.

Israelitæ Aegypto egredientes & in terram promissionis recta contendentes, legatos ad Seon Regem Amorrhæorum misere, qui hæc in mandatis habebant, *obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros vineas, non bibemus aquas ex puteis: via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos.* Sacerdotes duces sunt & conductores exercitus Ecclesiæ, horum igitur est, mundum cuius figura rex ille Amorrhæorum erat, hisce verbis alloqui, id est, non nisi transitum ab ipso petere, nec in agros aut vineas illius, descendere, id est, negotia sæcularia & voluptates fugere; non declinare
huc

huc aut illuc, sed regia gradi via, quæ est vanitatum contemptus, negotiorum fuga, nec prius quiescere, quàm vitæ huius fines transierint, & ad terram promissionis, in qua æterna futura est gloria, perueniant.

Salomon cum regnum adijisset, Amorrhæos, Hethæos, Phereæos, Iebusæos, & alios qui terræ naturales erant, tributarios fecit: *de filijs autem Israël non constituit seruire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri eius & Principes & duces.* Amorrhæi, Iebusæi, & ceteri idololatæ, sæcularium imago erant, qui serui & mancipia mundi huius sunt: at Sacerdotes, quos Israëlita figurabant, cælitus in milites Ecclesiæ & principes terræ seliguntur, nec aliis rebus illos Deus, quàm cultui & obsequio suo applicari vult.

3. Reg. 9.

Sacerdotes ad Dei cultum destinati.

Abraham Patriarcha de diuitijs & facultatibus disponens, concubinarum filijs munera dedit & suppellectilem mobilem; at filio Isaac legitimo reliquam possessionem, & quidquid immobile habebat, relinquebat, *Deditq; Abraham cuncta quæ possederat, Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera.* Concubinarum filij & ancillarum, sæculares sunt & mundani, quibus Deus magnus ille Abraham, suppellectilem domus concedit, id est transitoria mundi huius bona, quæ toto vitæ tempore curant & satagunt; at Sacerdotibus sibi amicissimis, quos Isaac denotabat, elargitur immobilia, & quidquid ad hæreditatem & possessionem alterius vitæ spectat, alijsque eos rebus occupari non patitur.

Allegoria.

Gen. 25.

Magnam

Ezech. 8.
Abomina-
bile Sacer-
dotes mū-
dum respi-
cere-

Magnam esse putavit abominationem Ezechiel, quod in templo seniores conspiceret dorsum contra altare habentes, & portam templi respicientes. Et sanè magna abominatio & probrum est, quando Sacerdotes Ecclesie, quos Græci Presbyteros, id est seniores, nuncupant, tergum altari obuertunt, id est, virtutem nullam & pietatem præferunt, & portam respiciunt, id est, oculos ad mundum conuertunt.

Ioan. 2.
Domum
Dei domū
negotiati-
onis faciūt
Sacerdotes
cū in mun-
dana se-
stantur.

Redemptor olim templum ingressus, & abominationem ac violationem eius indignèrens, vendentes & ementes flagello, & hac reprehensione eiecit, *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Tunc autem Sacerdotes è domo Patris cælestis, domum negotiationis faciunt, quando relicto spirituali commercio & negotio, temporale ambiunt, rebusq; secularibus & earum pertractationi se immergunt. Atque idcirco Deus sæpenumerò ad iracundiam prouocatur.

Sacerdotes
milites
Christi.
2. Tim. 2.

Nemo, ait Paulus, militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat cui se probant. Sacerdotes milites sunt, qui quotidie sub insignibus Altissimi depugnant; non est igitur illorum, negotijs se inuoluere & implicare; si verò Deo placere voluerint, omnem mundi occupationem deserant necesse est.

Diff. 88. c.
eod.

S. Gregorius audito Sacerdotem quemdam Basilium nomine, mundi se rebus occupare & immergere, easdem vt relinqueret quamprimum imperauit; quod res illa vilem ipsum redderet, & reuerentiam Sacerdotalem annihilaret. Et reuerà Ecclesiasticorum maiestas nimium quantum imminuitur, cū res profanas &

nas & sæculares pertractant; nihil enim est quod illos contemptibiliores ac viliores apud populum reddat.

Clemens Pontifex Sacerdotem quemdam sui temporis hoc pacto est allocutus, *Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & summo studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias;* ac proinde vadimonium non prestes, canlarum non sis sollicitator, & nullis mundi negotijs te implices. Idem nostræ tempestatis Sacerdotibus repeti & occini debet, vt sine reprehensione scilicet viuant, vitæ honestatem consequantur, ab omnibus se negotijs expediant, & mundanas occupationes fugiant.

Idem quoque Clemens eodem loco ait, *Impietatis crimen est neglectis Dei verbi studijs sollicitudines suscipere sæculares.* Quotnam hodie impios, quot nefarios ac profanos Sacerdotes igitur reperire est, cum tot sint qui mundi se rebus inuoluant & implicant?

Decretum hoc de Sacerdotibus promulgauit Innocentius Tertius, *Clerici officia vel commercium secularia non exerceant, maximè inhonestum.* Si Pontificium hoc decretum hodie obseruaretur, non tot inter Sacerdotes ministri publici, non tot mercatores forent, id est negotiatores, quorum negotia & pertractatio parùm honesta.

Trium Conciliorum decretum est, nullum Clericum vel Sacerdotem sæcularibus se negotijs implicare debere, nisi fortè inexcusabiliter à iudice, vel legaliter minorum tutelam suscipere cogeretur; vel nisi Episcopus Ecclesiasticorum illi negotiorum curam commiserit; vel nisi orphanorum protectio, viduarum inopum

Occupationes sæculares reddunt Sacerdotes contemptibiles

Epist. i. ad Iac. frat.

Dom. 1159. l. c. eod. & seq. c. Sicut.

Sacerdotes rerum contemptum docet S. Clemens.

Sacerdoti impietas est mundi negotia curare.

De vita & honestate cler.

Concilia Sacerdotes à sæcularibus negotijs arcent.

Chalced. c. 3. Carthag. 1.

c. 14. Perussin. c. 28.

inopum defensio, aut aliorum miserorum qui Ecclesie opem desiderarunt, tuitio suscipienda esset; alioquin Ecclesiastica censura subiiciatur, & iuxta demeritum digna poenitentia castigetur. Sancta hæc consilia sequendo, castigari Sacerdotes merentur, qui Ecclesia egredientes, & deuotionem negligentes, mundi se mancipia constituunt, & rebus se temporalibus immergunt.

Sacerdotes
tutores
esse neque-
unt.

et. q. 3.

Scipit Cyprianus ab Episcopis suo tempore statutum, vt, si Laicus in morris articulo rerum suarum curam & filiorum tutelam Sacerdoti committeret, nemo pro anima illius preces funderet, aut sacrificium offerret: *neque enim apud altare Dei meretur nominari Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes & ministros voluerit auocare.* Demonstrare sanctus hic Martyr voluit, quantum à mundi occupationibus auocare se debeant Sacerdotes, cum & illi, à quibus eisdem iauoluntur, tam grauitè à Prælati Ecclesie puniantur.

(7)



CAP.